Portugallien. prætensæ nullitatis Congregationis Intermediæ.

Eme, & Rme Dne. PRæuidens P. Prouincialis Prouinciæ Portugalliæ Ordinis Eremitani Sancti Augustini haud de futuras contentiones in Congregatione Intermedia celebranda in mense Nouembris anni 1707., vt bono pacis Prouinciæ consideret, & euitarentur scandala; Supplicauit huic Sac. Congregationi, quo præuia admissione renunciationis muneris Præsidentis, quod in dicta Congregatione intermedia ex officio exercere debebat, dignaretur in ea Præsidentem constituere, & deputare Eminentissimum Dominum Nuntium Apostolicum apud Serenissimum Regem Lusitaniæ, qui sua prudentia, & authoritate malis, quæ præuidebantur, occurreret, & quibus auertendis se imparem autumabat, cui quidem supplicationi, præmissa Informatione, & voto Prioris Generalis Ordinis sub die 12. Augusti 1707. benignè annuit, ordinando, vt Pater Prouincialis præsideret, & Nuntius Apostolicus assisteret cum facultate S. Congregationis.

Conuocata per Pr[redacted] Prouincialem tempore debito Congregatione intermedia, eidem interfuit Eminentissimus D. Nuntius vigore laudati Decreti: Sed nec sua assistentia impedire valuit, quin aliqui Patres Diffinitorij contentiosè, & irreuerenter, vt ità dicam, se gererent: qui quidem Patres numero quinque ex nouem Diffinitorium componentibus, omnem mouerunt lapidem, vt sibi placentia consequerentur, & quæ ipsis non placebant impedirent: & quia totum, quod volebant consequi nequiuerunt, appellarunt ad hanc Sac. Congregationem instando pro cassatione gestorum in dicta Congregatione Intermedia, & pro facultate denuò conuocandi, & celebrandi Congregationem in Prouincia pro expediendis eiusdem Prouinciæ negotijs.

Sed priusquam deueniatur ad merita Causæ, non erit improprium motiua referre, quibus Patres appellantes, quorum antesignanus est Pater Præsentatus Tauora ad hæc vsque extrema deuenerint, & sunt, quod Patri Prouinciali in Sac. Visitatione quamplurimæ factæ fuerunt instantiæ contrà Patrem Priorem Conuentus S. Mariæ Gratiarum Ciuitatis Vlissiponens., & vt suo debito satisfaceret, contrà dictum P. Priorem P. Prouincialis fabricauit Processum, & cum

ea; de quibus fuerat P. Prior accusatus depositione sexaginta octo Religiosorum ex septuaginta duobus, qui erant de familia in laudato Conuentu S. Mariæ Gratiarum, fuerint sufficientissimè probata, eumdem ab officio suspendit, & deuenisset ad priuationem de consensu Diffinitorum iuxtà Ordinis Constitutiones, (1) nisi appellasset ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ, & ad Tribunal Coronæ contrà Constitutionem fel.recor.Clem.VIII., quæ incipit, quoniam pastorali officio edita contrà recurrentes ad Tribunalia Sæcularia hinc vt sententiam condemnatoriam Patris Prioris declinaret P. Tauora cum suis sequacibus toto spiritus ardore contendebat acceptandam esse renunciationem à P. Priore diffinitorio factam, & super suspensionis Causam determinandam à pleno Deffinitorio: Certus, quod cum haberet quinque vota sibi addicta ex nouem, Pater Prior esset absoluendus, & declarandus innocens, & eligendus stante renunciatione in Priorem alius Religiosus sibi beneuisus, vt suo arbitrio in proximè futuro Capitulo Prouinciali de Prouincia disponere posset.

(1) *Tertia par. cap. 15. num. 5. Priores, & Priorissas Monasteriorum suæ Prouinciæ potest ipse (idest Prouincialis) per se suspendere, atquè etiam de consensu diffinitorum priuare.*

Deueniendo nunc ad Congregationis validitatem, quamuis nil videatur in ea confirmandum, aùt infirmandum, quia non fuerunt factæ electiones, eo quod vllus Prioratus vacabat, sed solùm fuerunt confirmati duo Supperiores: neque grauia resoluta negotia, vtpotè non proposita, nec necessariò proponenda, exceptis Iubilationibus, & postulationibus ad Magisterium, attamen rescribendum videtur, *substineri*, proùt humillimè supplicamus.

Etenim Congregatio Intermedia, de qua agitur, fuit tempore debito conuocata ab authoritatem habente, nempè à Patre Prouinciali, ad quem spectat Congregationes, & Capitula Prouincialia conuocare: in ipsa interfuerunt velut Electores, & vocem actiuam, & deffinitiuam habentes illi Patres dumtaxat, quibus de Iure interesse competebat, fueruntq; seruata, quę per S. Ordinis Cōstitutiones pręscribuntur; nec quid quàm defuit, quod ad eius validitatē desiderari potest, vt ex relatione Emi Nuntij, & attestatione Notarij Lamparelli de ordine eiusdem Eminentissimi Nuntij facta, quæ dantur in Summario pro parte Prouincialis, & Prouinciæ, nec alicuius ponderis sunt attestationes contrariæ, quia vel sunt ipsorummet opponentium, qui in Causa propria fidem facere nequeunt, vel aliorum, qui de auditu tantum deponere poterant, cum non fuerint Capitularibus Congressibus præsentes, nec maiorem merentur fidem, quàm opponentes, de quorum dictu deponont,

quia

quia de Iure plus non defertur Copiæ ; quàm originali.

Et licet dicta Congregatio intermedia celebrata fuerit die 9. Nouembris, & non prima Nouembris, vt disponere videntur Constitutiones Ordinis, (2) non per hoc inualida censenda est, siquidem fuit prorogata iussu Eminentissimi D. Nuntij, , qui interesse debebat cum facultate huius Sac. Congregationis, tùm etiam, quia dùm Const. Ordinis loco citato disponunt Congregationem Intermediam, vbi celebratur Capitulum de triennio in triennium, celebrandam esse in festo omnium Sanctorum, vel alio tempore iuxtà Consuetudinem Prouinciarum, innuunt non taliter celebrandam esse Congregationem Intermediam in festo omnium Sanctorum, vt si alio proximo tempore celebretur sit nulla, & inualida, & præcisè si differatur cum legitima causa, vti accidit in dicta Congregatione Intermedia ob deficientiam aliquorum vocalium, qui de die in diem expectabantur; Nec alicuius ponderis est consideratio, quod non erat opus expectare dictos Vocales, dum aderant subrogati; nam subrogati admittuntur loco vocalium, quando isti accedere nequeunt, vel sunt legitimè impediti, secus verò quando sunt in itinere, quia in hoc casu poterat Congregatio differri iuxtà plenissimè firmata per *Barbos. var. decis. 47. num. 7., & 20.*

(2) *Tertia par. cap. 12. num. 6. vbi verò celebrabitur capitulum de triennio in triennium huiusmodi Congregatio fiat in festo omnium Sanctorum in medio trienenij, vel alio tempore iuxtà Consuetudinē Prouinciarum.*

Hinc non obstant nullitates, quæ ex aduerso proponuntur, & primo, quod interfuerunt dictæ Congregationi DD. Auditor, Iudex, & Notarius Eminentissimi D. Nuntij, qui iuxtà eorum beneplacitum resolutionem dederunt rebus propositis, & electionibus se immiscuerunt, nam quamuis ipsi Congressibus Capitularibus interfuerint, constat tamen ex relatione, & attestatione Eminentissimi D. Nuntij, & Notarij Lamparelli, vt in dicto Summario pro Prouincia *num. 4. litt. C. K. L.* haud quaquam votum decisiuum, & resolutiuum dedisse, & multò minus se electionibus immiscuisse: nec pura interressentia prædictorum, potuit reddere nullam Congregationem Intermediam; non enim decebat Eminentissimum Nuntium solùm assistere dictæ Congregationi. cum diuisum in partes Diffinitorium requirebat, vt laudatus Eminentissimus comitatus assisteret, & cum Peritis materias, circa quas erat dissidium discuteret, maximè quia in dicta Congregatione vlla fuit facta electio, sed dumtaxàt confirmati Vice-Rector, seù Superior Conuentus S. Mariæ Gratiarum Vlisiponens, quod si secundum

communem DD., & Magis receptam opinionem, nec pura interresentia Sæcularis potestatis ad protegen. scilicèt, vel ad sedanda iurgia reddit inualidam Ecclesiasticam electionem, multò minùs id efficere poterit pura interessentia Eminentissimi D. Nuntij cum suo Auditore, Iudice, & Notario, qui constituunt Tribunal, & potestatem Ecclesiasticam.

Secundo, quod fuerit reiecta appellatio interposita à quinque Vocalibus, cum nonnulla remanserint expedienda negotia, quæ ob temporis angustiam non fuerunt decisa; Etenim neque ex hoc resultat prætensa nullitas, nam appellatio, licèt inhibeat, ne ad vlteriora procedatur, gesta tamen antecedenter non infirmat, & præsertim si fuerint ab ipsis appellantibus acceptata, vt in præsenti, nam appellantes acceptarunt, & consenserunt determinatis in antecedentibus Congressibus, & posteà quia ipsis permissum non fuit protrahere magis Congregationem appellarunt, dando de nullitate etiam respectu antecedentèr gestorum; Et reuerà si interposita quacumque appellatione deberent Patres Vocales ab vlterioribus se abstinere, actum esset de Capitulis, & Congregationibus præsertim Regularium, & quod raro desunt, qui per viam electionis proprias satisfactiones captare nō valentes, Capitula friuolis instantijs, appellationibus inuertere conantur, & hic est casus noster, nàm negotia proposita resoluta fuerunt iuxtà votorum pluralitatem, & alia, vtpotè excogitata à PP. appellantibus ad purum finem protrahendi in infinitum Congregationem, non fuerunt nec ab ipsis, vt resoluerentur proposita, licèt pluries interpellati fuerint ab Eminentissimo D. Nuntio ad deducendum indiuiduatim, quæ ipsis expedienda videbantur, vt in *Summ. pro Prouincia num.8. litt.P.*

Et mirum sanè videtur, quod Capitulum Prouinciale, in quo eliguntur Iudices Causarum, Senatores, Prouincialis, Diffinitorium, Priores, recognoscitur Præsidens, & alia peraguntur, quæ non fiunt in Congregatione intermedia, quinque ad summum Congressibus expletur, & Congregatio intermedia dicatur manca, quia in ipsa fuerunt habiti tres congressus, licet non adessent electiones fiendæ; & mirabiliùs prætendere nullam Congregationem celebratam ex motiuo, quod non fuerint expedita omnia negotia, nam vllum ferè celebratur Capitulum tàm Regularium, quàm Sæcularium, in quo omnia negotia proponuntur, & resoluuntur, cum passìm accidat in ipsis aliqua negotia terminari

minari, aliqua proponi, sed quià non digesta, non resolui, aliqua verò nec proponi, nec terminari, sed remitti ad aliud Capitulum.

Tertiò quod in dicta Congregatione non fuerunt acceptatæ renunciationes P. Prioris S. Mariæ Gratiarum Vlyssiponens., & Procuratoris Prouinciæ (non Procuratoris Generalis, quià Ordo Eremitarum S. Augustini, sicut vnum Priorem Gen. agnoscit ità vnum Proc. Gen. & ideò in Capitulo Gen. celebrato anno 1685. cautũ est, ne vllus Procurator Prouinciæ audeat se Procuratorem Generalem vocare, aut vocari facere) nam etiam hoc motiuum insufficiens deprehenditur ad inualidandam Congregationem intermediam: Siquidem dum non fuerunt acceptatæ dictæ renunciationes, processum est ad tenorem Constitutionum Ordinis, (3) hæ enim mandant non esse acceptandas renunciationes, nisi priùs fuerint recognitæ Causæ renunciationum à P. Prouinciali, & quatuor Diffinitoribus: Causæ autem prædictarum renunciationum non fuerunt priùs recognitæ à Patre Prouinciali, & quatuor Diffinitoribus, & ideò meritò non fuerunt acceptatæ; præterquamquod Pater Prior renuncians erat ab officio suspensus, & actualiter sub Iudice, & motiua renunciationis Procuratoris Prouinciæ erant insubsistentia, quià si potuit ipse non obstante aduersa prætensa valetudine in Capitulo Prouinciali proximè præterito totis viribus sibi tale officium procurare cum eiusdem Prouinciæ scandalo, & admiratione, & tunc etiam seruiebat Sac. Inquisitioni, ità ijsdem non obstantibus poterat officium prosequi vsque ad aliud Capitulum, præsertim cum tale officium potiùs sit honoris, quàm oneris, & titulum præseferat sine re.

Quartò tandem, quod in dicta Congregatione non fuit facta Sindicatio Patris Prouincialis, qui se ab officio abdicauit, in ordine ad data, & recepta pro Prouincia, & ad vestitionem Nouitiorum suprà numerum determinatum in Breue Alternatiuæ; quodque acta remanserint inexpleta, vtpotè non subscripta ab omnibus Patribus Diffinitorij, quippè quam friuolum pariter sit hoc motiuum nullitatis Congregationis, clarè deducitur ex ipsis Constitutionibus Ordinis, (4) quæ disponunt spectare ad Socium Prouinciæ reddere rationem de datis, & acceptis pro Prouincia non quidem Diffinitorio, vt supponit Dominus exaduerso scribens, sed Iudicibus Causarum, & in Congregatione inter-

(3) Tertia par. cap. 13. nu. 4. ad coercendas autem tàm frequentes Prioratuum renunciationes &c. volumus, quod Priores cuiuscumque Prouinciæ, seù Congregationis sint, qui absque legitima Causa à Rmo Patre, & PP. Diffinitorij Prouinciæ, siuè Congregationis intrà Italiã extrà Italam verò à Prouinciali, & Diffinitoribus recognoscenda, Officio Prioratus renũciauerint, ad quemcumq; Prioratum obeundum perpetuò inhabiles sint, Proninciales autẽ, seù Vicarij Generales, qui prædictas renunciationes nondum vt suprà recognitas acceptauerint arbitrio Rmi Patris puniantur.

(4) Tertia par. cap. 10. §. 5. de Socio assignando P. Prouinciali, & eius officio nu. 2. habeat magnum, & paruum Sigillum Prouinciæ &c. scribatq; minutim quidquid Prior Prouincialis, à Prouincia, vel aliundè pro ipsa tamen receperit, & quidquid, & quomodò expenderit, & posteà cum ipso cõferat ad reddendam rationem in Capitulo Pronunciali Iudicibus Causarũ, vt ipsi Diffinitorio referant.

intermedia non adsunt Iudices Causarum, adeoque sindicatio non est danda in Congregatione intermedia, sed in Capitulo Prouinciali, & idem dicendum de vestitione Nouitiorum, siquidem per easdem Ordinis Constitutiones (5) ad Iudices Causarum pertinet Causas omnes dirimere, grauioribus exceptis, quas Diffinitorio ipsimet Iudices referre tenentur, vndè poterunt PP. appellantes Capitulum Prouinciale expectare, & in ipso Socius Prouinciæ reddet rationem de datis pro Prouincia, & acceptis, & Pater Prouincialis de Nouitiorum vestitione.

Quantùm verò ad non subscriptionem actorum attinet; Pars aduersa manifesto laborat æquiuoco, aliud enim est acta Capitularia expleri à minore parte Capituli, aliud subscribi à minori parte Capituli; primùm sanè acta reddit inualida, quià non facta à maiori, & sanori parte Capituli, secundum verò nequaquam, quià subscriptio actorum non exigitur ad validitatem, & complementum eorumdem, sed solum ad testificandū acta sic se habuisse, sicut pro confirmatione transmittuntur hinc Constitutiones Ordinis (6) post absolutum Capitulum, vel Congregationem intermediam, mandant, vt acta subscribantur ab omnibus PP. Capitularibus, & sigillo maiori Prouinciæ signentur, & sic subscripta, & signata ad Patrem Generalem pro Confirmatione eorumdem transmittantur. Quod si Pater Generalis noluit confirmare acta Congregationis intermediæ, de qua agitur, id non fuit; quià ea inualida iudicauit, sed quia non transmissa ad præscriptum S. Constitutionum Ordinis.

Stabilita igitur validitate Congregationis intermediæ celebratæ meuse Nouembris 1707. in Prouincia Portugalliæ, & reiectis exuberanter contrarijs oppositionibus; clara indè insurgit validitas tùm ob rationes adductas, & insnbsistentiam nullitatum exaduerso productarum, tùm etiam quià aliter in dicta Prouincia Portugalliæ in partes, & factiones lacrymabiliter scissa, & quæ pristinum suum amisit decorem ob Religiosorum mutuas simultates, daretur aditus alijs se opponendi modo consimili alijs Congregationibus, & Capitulis in posterum celebrandis.

Quod si per malam hypothesim aliter decernendum foret, quod non creditur, adhuc reijcienda prorsus esset contraria instantia, vt denuò celebretur Congregatio intermedia in dicta Prouincia, nam tàm de Iure communi,

(5) *Tertia par. cap. 9. §. 3. de Iudicibus Causarum num. 2. hi tres (supple Iudices Causarum) omnes tàm Fratrum, quàm Sæcularium cum Fratribus audientes alia que negotla, siquæ sibi à Diffinitorio commissa fuerint discutientes ea, quæ pacis sunt in omnes intendant, & quæ grauiora fuerint Diffinitorio referant, ipsi tãtùm leuiora iudicantes, ac determinantes sola rei veritate inspecta &c.*

(6) *Ibidem cap. 11. §. 4. num. 2. in fine posteà manu propria omnium PP. Diffinitorij subscribantur, & maiori eiusdem Prouinciæ Sigillo muniãtur, & sic ad Rm̃um Patrem mittantur.*

muni, quàm secundum Constitutiones Ordinis (7) electiones inualidata Congregatione spectant Iure deuoluto ad Patrem Priorem Generalem. Imò non expediret, vt denuò in Prouincia celebretur Congregatio intermedia, quià maiores orirentur contentiones, & Iurgia, nouaque nascerentur scandala; neque esset necessaria, vel quià vllæ sunt faciendæ electiones, aut resoluenda negotia, quæ dilationem non patiantur, vel etiam quia antequam in Prouinciam perueniant resolutiones huius Sac. Congregationis proximum redditur Capitulum Prouinciale, quod celebrandum est post Pascha Resurrectionis anni 1709. Quod si fiat vis in Iubilationibus, & postulationibus ad magisterium in dicta Congregatione intermedia peractis, satis prouisum erit, si ordinare dignabuntur Eminentissimi PP. vt merita Iubilatorum, & postulatorum iterùm in proximo Capitulo Prouinciali examinetur ad maiorem solummodò cauthelam.

Quare &c.

(7) *Ibidem cap. 11. §. 4. num. 2. quod si occurrat alias electiones, siuè Prouincialiũ, siuè Priorum, siuè Officialium respectiuè à Reuerendissimo Patre legitimè annullari, eo tunc in eius potestate esse Superiores, & Officiales subrogare Iure sibi deuoluto &c.*

SACRA
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D. Card.

GABRIELLIO

Portugallien. prætensæ nullitatis Congregationis Intermediæ.

PRO

Validitate eiusdem Congregationis Intermediæ celebratæ in Prouincia Portugalliæ Ordinis S. Augustini.

CONTRA

Aliquos Patres Diffinitorij dictæ Prouinciæ.

Memoriale:

Typis De Comitibus 1708